

ciatque Quæstionem 27. quam ab eodem Aquinate scriptam, superis tamen invitis, dubitat Petrus de Alva. Acta etiam profero, quæ anno 1387. & in sequentibus habita fuerunt Parisiis contra Joannem de Montefono. Prostant ea Tomo 1. *Judiciorum de novis erroribus*, quæ collegit Carolus Duplessis d' Argentré: in quibus frequens *Tertia Summa Partis*, & Quæstionis 27. mentio. Vercor, ne si plura addiderim, & lectorum patientia abutar, & tempore.

CAPUT VI.

Supplementi ad Tertiam Partem auctor non videtur esse Albertus de Brixia: neque Petrus de Arvernia. Henrico de Gorcomio probabilis adjudicatur opus, ex Commentario in quartum Sententiarum librum confectum.

I. Satius erit ultra procedere, ac investigare, quisnam ille fuerit, qui memorarum *Supplementum Tertie Partis* compilaverit, totum ac integrum ex *Commentario in librum quartum Sententiarum* decerptum? Laudato Alberto de Brixia opus istud à Vincentio Bandello tribui, refert Petrus de Alva in Sole veritatis. Tractatum Bandelli, quem citat, de *Veritate Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ*, præ manibus non habeo, ut ipsum diligentius expendam, deque mente Auctoris certiora documenta teneam. Equivocatione fortasse vel Bandellus, vel Alva laborat. Quod enim opus de *Sacerdotis officio* elucubravit Albertus, *compilatum* fatetur ipse in *Prologo ex verbis*, & *Tractatibus Fratris Thomæ de Aquino*. Compendio scilicet collecta eo in *Opere* prostant, quæ de *Incarnatione Verbi*, deque *Sacramentis Ecclesiasticis* fuscè pertractantur in *Tertia parte*: quæ cætera desiderantur, ex *quarto in Sententiarum libros Commentario*, pluribus quidem refecatis, totidem tamen omnia verbis, decerpta sunt. Hinc ansa data, ut Alberto quoddam attribueretur *Supplementum Tertie Partis*: quod aliud ab illo est, de quo agimus.

II. Hunc laborem adscribi Petro de Arvernia in quodam M. codice Lovanienfis S. Martini Monasterii, prodit laudatus Alva. Codicis inscriptio est, „Incipit complementum, quod Petrus de Arvernia, Doctoris Sancti sequens vestigia, ex Quarto scripto ejusdem super sententias consummavit.“ Et in calce hæc habentur: „Explicit *Tertia Pars Summæ S. Thomæ de Aquino*, quam ipse morte præventus incompletam reliquit, Deo aliqua melius de eo disponente: quam *Petrus de Arvernia*, Doctoris Sancti sequens vestigia, ex Quarto scripto ejusdem super sententias consummavit.“

Vitum eximium Ordini Prædicatorum frequentius accensent Nostrates, ac etiam Casimirus Oudinus ad annum 1280. & Dionysius Sammarthanus Tomo II. Gallie Christianæ in Episcopis Claromontensibus num. 69. Addunt postremo duo laudati Scriptores, ejusdem Ecclesiæ Claromontensis cathedram ipsum tenuisse: quod ante traditum legimus à Ptolomeo Lucensi in Hist. Eccl. Lib. XXIII. capite XI. Hanc ejus dignitatem pro dubia Echarodus habet: Dominicanam vero professionem nihil hæsitans pernegat: ipsumque Collegio Canonicorum Ecclesiæ Parisiensis, ac Sociis Domus Sorbonicæ restituit. Thomæ Aquinati, ejusque doctrinæ addictissimus fuit: ejusdemque Commentarios *Politicorum*; de *Cælo & Mundo*, deque *Generatione*, imperfectos relictos, proprio Marte supplevit, ac complevitque. Hac fortasse ratione ductus Notarius quispiam Petro de Arvernia adscripserit *Supplementum Tertie partis*, minime proprio alicujus Marte confectum, sed ex *Quarto scripto Aquinatis super sententias*, totidem Quæstionibus, & Articulis, & verbis compilatum.

III. Tertius adeft Henricus de Gorichen, seu de Gorcomio à loco natali in Batavia nuncupatus. Codices duo Petrus de Alva à se visos restatur Colonie apud Regulares Cruciferos, quorum primus hunc præferebat titulum: *Sequuntur Quæstiones ex Quarto scripto S. Thomæ de Aquino Ord. Præd. S. T. D. eximii per Ven. Mag.*

Hen-

Henricum de Gorrichen Doctorem Theologum, pro completionem materie in Tertia parte supradicti S. Doctoris declarande: ut in principio patuit, compilata. In altero Codice ad calcem sic idem Alva legebat: *Explicit 111. pars Summæ S. Thomæ de Aquino Ord. Præd. quam ut intendebat, non complevit morte præventus: ejus supplementationem ex Scripto ejusdem Doctoris Magister Henricus de Gorrichen bona memoria compilavit.* Mirum est, hæc Alvam in Codicibus MSS. legisse; proprio rursus addicere potuisse experimento in prima Supplementi quæstione de *partibus penitentis in specialibus*, & primo de *contritione* agi: ac nihilominus veluti se ignarum prodere, ubi fuerit illud complementum Tertie partis, an in principio, sine, medio; ipsamque totam Tertiam partem in suspensionem vocasse! Doctorem Theologum Coloniensem anno 1420. renunciaturum ejusdemque Universitatis Vicecancellarium fuisse Gorcomium, & Gymnasi Bursa montis collegam, inquit Alva, annuit Echarodus.

Num ergo ipse revera fuerit Supplementi compilator? Id jam dixerat ante Alvam in sua Bibliotheca Belgica anno 1643. typis edita Valerius Andreas. Id ab ipso exceptum verisimile est ex *Indice Codicum MSS. in Bibliotheca Belgii, vicinarumque Provinciarum* anno 1500. adhuc extantium, quem Joannes Bunderius Ordinis Prædicatorum concinnavit. Id antea fortasse trididerat Guillelmus Cornificus ejusdem Ordinis Prædicatorum anno 1525. denatus, qui prædicatorum Codicum titulos collegit, à Bunderio postea in ordinem redactos. Adde, Manuscriptos Codices nullos, teste Echarodo, indicari posse, laudatum Supplementum præstantes, qui Sæculo XIII. & XIV. exarati fuerint: unde neque Alberto Brixienti, neque Petro de Arvernia collectio illa adjudicari posse videtur. Atqui superiores duo Codices, ac tertius in Parisiensi Navarea Bibliotheca servatus, ad insequentem Sæculum quindumdecimum spectant, quo etiam florebat Henricus de Gorrichen. Hujus ergo Auctoris fuerit opus. Quod cum nihil aliud esse constet, quam *Commentarii in quartum Sententiarum librum* partem, totidem transcriptam verbis; ulla certe ratio non erat, ob quam Nostrates, veluti Gorcommii gloria invidentes, Opus istud sibi vendicarent. Ita nihilominus, (an serio, an joco,) suspicabatur Petrus de Alva.

CAPUT VII.

Scriptores nonnulli referuntur, qui Summam Theologiæ à Thoma Juniore, & Commentarios in Sententias ab eodem Seniore confectos, arbitrari sunt. Opposita chronographia vindicatur.

I. Tempus jam innotescit, quo præstantissimum Opus elucubravit verus Auctor S. Thomas, extremis videlicet vitæ ejus annis. Certam chronographiam: inepto consilio ducti, nonnulli vexare ausi sunt. Refert eos Auctor Elucidarii Desparæ in *Defensione Cantabrigiæ*, qui laudatam *Theologiæ Summam* opinati sunt à juniore Thoma confectam: ab eodemque jam ætate profecto Commentarios in quatuor *Sententiarum* libros elucubratos. Tam absone adhæsit etiam opinati Paulus Sherlogus in *Antiloquio XI. in Canticum Canticorum*. Sic ait Sect. II. num. 14. „In nupera editione Operum Bellovacensis, quæ studio Theologorum Vedastini Collegii Duacensis S. Benedicti prodit, inum est in examine Elogii Belarmini in eam sententiam, quæ à *juvene* Beato Aquinate compositam esse *Summam* autumat. Cujus opinionationis aliquod esse valeat fulcimentum: quod Beatus Doctor, quam in 3. p. Quæst. 27. Art. 2. sustinuit cogitationem de *læsa* Dei Genitricis à peccato originali, maturioris judicio *senior* retraxavit in 1. Sent. Dist. 44. Qu. 1. Art. 3. ad 3. *Et talis*: inquit, *fuit puritas Beate Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit.*“ Hinc num. 15. demum: *certius esse* Vedastini illi Tomachi in Prologo, quem Duacensæ Speculi Vincentiani editioni anno 1624. accuratè præfixerunt, Vincentium Bellovacensem ad annum 1274. S. Thom. Op. Oper. Tom. I.

pervenire potuisse putant, imo & Aquinati fuisse superfluum: qua posita chronographia, facillime impacti Sano Doctori plagii, de quo in alia mihi agendum Dissertatione, maculam abstergi posse edisserunt. Hanc Vedastinorum Monachorum opinionem validissimis argumentis refellit Echardus, qui in ejusdem Bellovacensis elogio, tum obitum ejus ante annum 1263. non accidisse probat, tum ipsum clarissimum Virum in sequente anno 1264. vita demum mortali migrasse. At ex anno Vincentii Bellovacensis emortuali, sive quem constituit Echardus, sive quem Monachi Vedastini definierunt, colligas nunquam Theologiæ Summam à juniore Thomæ Vedastini esse. Commentum istud est, quod Auctor Elucidarii, & Paulus Sherlogus excogitarunt.

II. Otiosorum hominum systema convellunt synchroni Scriptores. Ptolomeus Lucensis rem diligentissime conficit omnem. Hæc habet Lib. XXII. Hist. Eccl. capite xxxix., Hujus (Clementis IV. Summi Pontificis) tempore (à die 5. Mensis ,, Februarii anni 1265. quo ad Summum Sacerdotium evehctus est,) dictus Doctores ,, scripsit Summam: quam in tres partes divisit. . . Illius ergo Summæ tres partes ,, quasi scripsit tempore istius Pontificis, & sequentis vacationis. " Diem clausit extremum Clemens anno 1268. die 29. Novembris: vacavitque Romana Sedes ad annum usque 1271. diemque 1. Septembris: quo Gregorius X. cum absens foret, electus fuit, anno insequente 1272. die 27. Martii Diademate sacro redimitus. Hinc septem annos habes: quo temporis spatio, Summa suæ Theologiæ tres partes quasi scripsit, ipsius nempe operis partem majorem, Thomas Aquinas. Pergit namque Ptholomeus Libro XXIII. capite xi. sic adnotare: ,, Tempore hujus Pontificis ,, (Gregorii X.) scripsit ultimam partem Summæ, quæ Sacramentalis vocatur: quia ,, de Sacramentis ibidem agit, & de Incarnatione Verbi, in qua articuli fidei contem ,, tinentur secundum ipsius humanitatem: sed non complevit, morte præventus (anno 1274. die 7. Martii.) Tempus innotescit, scilicet postremum vitæ decennium, quo Thomas Theologiæ edendæ Summæ consilium cepit, ipsumque elucubravit opus. Dum versaretur in Italia, post annum 1265. manum admovit operi: in illud Parisiis incumbebat, dum iterum anno 1269. regendam suscepit Sanjacobæam Scholam: ipsumque ut ad complementum redigeret, in Italianam anno 1271. redux, in sudabat, at morte prævento ultimam non licuit manum eidem imponere. Ita vero ad id opus conficiendum mentem operamque conferebat, ut simul & Scholas rege- ret, ubi diversabatur, & ab aliis edendis lucubrationibus non cessaret, quas partim recensimus, ac porro notabimus alias.

Hanc eandem temporis epocham indicant, confirmantque ceteri operum Thomæ vetusti Nomenclatores, qui discrete adnotant: Tertiam Summæ partem fuisse incompletam ab eo morte prævento relictam. Trivetus ait: *Morte autem præventus, Tertiam totius. (Operis) & ultimam (partem) non complevit.* Bernardus Guidonis: *In qua (Tertia parte) scribendi, & vite sue finem fecit: & morte præventus incompletam reliquit.* His veterior, Reginaldus de Priverno, intimus Thomæ socius, insigne demum testimonium perhibet, à Bartholomæo de Capua allegatus in Processu Canonizationis apud Bollandi Continuatores num. 79. testaturque: *Suspensisse Aquinatens organa Scriptionis in Tertia Parte Summæ in Tractatu de Pœnitentia.* A quæstione 84. initium sumit hic de Pœnitentia tractatus: idemque man- cius, incompletusque desinit in nonagesima quæstione. Quæ cum certissima & explorata haberi debeant, quis non miretur, dici ab Auctore Elucidarii potuisse, juvenem Thomam elucubrasse Theologicam Summam; provecumque, & senem, Commentarios edidisse in quatuor Sententiarum libros? Maxima subit etiam miratio, eam Sherlogo infēdisse opinationem de nonnullis doctrinæ capitibus, quæ Thomas tradiderit in Summa, ac revocaverit in Commentario. Gerræ sunt, ac nugæ, & somnia vanissima.

CAPUT VIII.

De Græca versione ejusdem Summæ Theologicæ. Quis fuerit auctor, inquiritur. Versio Armenica, aliæque vulgares.

I. Præstantissimi Operis totius versionem Græcam præstant Codices Mss. plu- res, qui adervantur in Bibliothecis Vaticanis numerat Jacobus Echardus, Regios Passiensis, Coisilianos, Vindobonenses, Anglos, Venetos Sancti Marci. Diligentissima ejusdem Scriptoris recensio operam nostram prævertit omnem, ac inhibet. Unam ille ex Tomafino Primam Secundæ græce versam inter Codices Mss. Cardinalis Beslarionis memorat: Partem etiam Primam recensitam lægo in Græca Divi Marci Bibliotheca Codicum Mss. quæ anno 1740. typis prodit Venetis, hoc modo: Codex cxlvi. in fol. chartaceus: *S. Thomæ Aquinatis Summæ Theologicæ, prima pars, græce versa.* Adjicitur nota: *Eplērotē tē eptakādekāte tou Aπrīliou tes protes, ind. Katā to exakīschilioīstōn oktakosioīstōn ebdome- koston proton etos. Completus est die decimaquarta (decimaseptima) Aprilis Ind. prima anno 6871. (Christi 1363.)* Codex cxlvii. in fol. charta, ,, ceus... *Prime, ,, Secundæ partis Summæ Theologicæ.* Codex cxlviii. in 4. chartaceus... *Prima pars ,, Summæ Theologicæ. Epitome 1. 2. partis Summæ Theologicæ.*

Ex Casareo-Vindobonensi Codice 204. chartaceo apud Lambecium Lib. I. re- fert idem Echardus. *Thomæ de Aquino Quæstiones de Divina Incarnatione:* quæ sunt, inquit, vel priores Quæstiones 3. partis Summæ S. Thomæ, vel Quæstio inter Disputatas de Unione Verbi Incarnati. Sed apud Nesselium Cod. cclxlii. num. 4. & Cod. cclxvi. num. 4. sic titulus effertur: *Ex Sancti Thomæ Aquinatis libris quatuor de Veritate Catholicæ Fidei contra Gentiles, & ex ejusdem Summæ Theologicæ, Capita Miscellanea Quadragesima quinque.* Primi capituli initium assert Nesselius, quod sumptum constat ex Capite quadragesimo Libri quarti contra Gentiles. Vide, quæ adnotavimus in Dissertatione iis Libris præmissa.

In Codice Regio Parisiensi 2422. qui 2. 2. continet; hæc latine ab Echardo versa legi, idem testatur Vir doctissimus: *Utinam, ó Thomæ; non in Occidente, sed in Oriente natus fuisses, ut esses orthodoxus, ac de Spiritu Sancti processione sic recte sentire, ut de aliis præclare differis.* Itemque: *Sapiens est iste (Thomas;) excepto quod est Latinus, & Barlaamita, nisi potius Barlaam Thomista fuerit, & Latinus: cætera admirandus* (ipse nempe Thomas.) Barlaamus Monachus Calaber Græcus, præ versatili ingenio Latinis, & Græcis infensus, anno 1340. florebat. Duas prædictas adnotationes ad ipsum Summæ Thomisticæ interpretem pertinere, verisimilimum putat Echardus: unde colligit, Græcam Summæ Theologicæ versionem Demetrio Cydonio non adscribendam: qui Latinorum dogma de Spiritu Sancti ex Patre Filioque processione constanter tenuit.

II. Maximo Planudi, quem constat dogmatis ejusdem hostem acerrimum fuisse, Græcam istam versionem tribuendam censet. Conjecturam confirmat fide Codicis Mss. versionem prædictam continentis, in quo eadem translatio Maximo Planudi tribuitur. Codex est, inquit, *Bibliotecae Barocynianæ* (Barocianæ,) quæ olim Venetiis erat, postea in Angliam translata. Indicem Codicum reliquit Thomafinus: quos ipse adnotat, *Jacobi Barocii Patricii Veneti non minori diligentia, quam sumptu acquisitos: & Thomæ Comitis Arundeliani ere in Britanniam translatos.* Codicem, quo de agimus, his verbis recenset pag. 81. *D. Thomæ Summæ Theologiæ in Græcum translata à Maximo Planude: in bomb. fol. 412.* Planudes florebat anno 1327. & adhuc anno 1353. lucis usura fruebatur, Guillelmo Cave, & Jo. Alberto Fabricio adnotantibus. Hinc animadvertere in augmentum conjecturæ: Planudis ætati proximum esse Codicem, quem servat Veneta S. Marci Bibliotheca, anno 1363. completum: eidemque homini Græco maxime convenire dicterium, quo Thomas Barlaamita vocatur.

III. Armenicam integræ *Summæ Theologicæ* versionem debemus D. Michitar Sebasteno, Abbati Monachorum è Congregatione S. Antonii. Hanc ipse Michitar, vir Catholica fide, moribus antiquis, ac litterarum peritia conspicuus, anno 1712. instituit Methone in Peloponnese. In Peloponnese clade à Turcis inflata, Venetias anno 1716. confugerunt Monachi: receptique sunt in Æstuaris prope Urbem in Insula Sancti Lazari anno 1717. Congregationem suam ad obitum usque, idest anno 1749. ipse Michitar prudentissime rexerat primus Abbas. In laborioso conficiendo opere sibi socium adsevit Joannem ejusdem Congregationis Monachum, qui vitam adhuc agit. Confectæ versionis plura, quæ vidi, adservantur Volumina Mss. in 4.

Eandem *Summam* Carminibus Armenicis expressit, *sex in partes tributam*, D. Caciatur Arzerumentis, Doctor Theologus: qui Venetæ Armenorum Ecclesiæ plures annos præfuit. Primus Tomus, & secundus primæ partis prodierunt Venetiis anno 1729. typis Antonii Bortoli: lucemque vidit Tomus primus Secundæ partis anno 1734. Cæteri desiderantur.

Mutilum laudari Monachi S. Antonii servant Ms. Codicem, qui antiquiorem, ut ajunt, præstat ejusdem *Summæ Theologicæ* versionem Armenicam. An fuerit Bartholomæi, cognomento Parvi, ex Ordine nostro, Armenorum Apostoli? Viri Sanctissimi, ad Armenorum reconciliationem à Joanne XXII. anno circiter 1320. missi, vitæque mortali anno 1333. functi in Monasterio de Charnâ, elogium consule apud Echarдум. Armenicam *Summā contra Gentiles*; & *Summā Theologicæ tertiiæ partis* versionem eidem attribuit Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Dominicana Centuria II. ad annum 1333. Hæc sibi si consent, novus accedit pro *Summa Theologica*, genuino Aquinatis fœtu, adversus imperitam Launoji censuram fide omni dignissimus testis.

Vulgares etiam apud Europæos linguæ ad idem opus exprimentum adhibita fuerunt ab Interpretibus, Auctori sanctissimo additis. Manuscriptam Hispanam *Primæ partis* versionem ex Antonio Augustino, & ex Tamajo refert Echarದು Tomo II. Scriptorum Ord. Præd. pag. 339. inter Anonymos Sæculi sextidecimi. Gallicæ aliquot, sive integras versiones totius Operis, sive epitomes, eorumque Auctores, aut Editores recenset Antoninus Tourum in Aquinatis Vita Libro VI. capite ix. Mirum vero, laborem hujusmodi ab Italorum nemine, quem sciam, susceptum fuisse. Translationem Sinensem loco citato Touronius memorat, quæ confecta à P. Ruglo Siculo dicitur in *Catalogo Patrum Societatis Jesu, qui post obitum S. Francisci Xaverii in Imperio Sinarum fidem propagaverunt*, Parisiis edito à 1686. in 8.

LECTORI TYPOGRAPHUS VENETUS.

POST innumeras fere *Summæ Theologicæ* D. Thomæ Aquinatis editiones, quas inter nonnullæ clari nominis viris curantibus prodire, illud tantum superesse videbatur ut ex iis optima deligeretur, quam fide summa recudendam curarem. Quum vero collatio variorum exemplorum in ejusdem Operibus hæcenus editis adhibita valde profuerit ipsorum sinceritati & nitore, eidem methodo insistendum putavi, ne qua in parte, mea qualicumque sollicitudo torpere videretur. Cum itaque inter ceteras editio Patavina anni 1712. in 12. ut vocant: absolutissima censeretur, hanc quidem exemplaris loco adhibui, sed ad illustrandum, pristinaque sinceritati reddendum D. Thomæ textum (à qua descivisse suspicabantur nonnulli) eorum omnium laboribus uti decrevi qui vel *Summæ Theologicæ* cum laude ediderunt, vel in eam pro ea qua pollebant doctrina, & codicum bonæ notæ copia, curam exercere. Præcipui sunt *Franciscus Garcias*: *Gregorius Donatus*, *Lovanienfes ac Duacenses Theologi*, *Joannes Nicolai*, & *Thomas Madalena*: cujus postremi *Observationes theologicæ, litterales* in D. Thomæ *Summam*, è codice præsertim Alcanitiensi erutæ, & publici juris factæ Cæsaraugustæ anno 1719. utilissima; alioquin, in Patavinis posterioribus editionibus prætermittæ, omnino fuere. Quæ de re uberiorem notitiam si cupis, legis Dissertationem huic editioni annexam quæ de *Summæ Theologicæ* editionibus agit. Itaque horum omnium diligentissima instituta collatione, variantes omnes alicujus momenti lectiones inferiori margini apposui, ea in textu retenta quæ aut communissima, aut probatissima visa est. Quod attinet ad loca è sacra Scriptura, Patribus, aliisque Scriptoribus accita, curam hucusque adhibitam non prætermisi, quæ profecto supervacanea non fuit. Quis vero mei laboris fructus, illorum esto judicium quibus hoc cum antea cufis exemplis conferre libuerit. Magnum profecto huic ornamentum accessisse ex Doctissimi *Bernardi Mariæ de Rubéis* Ord. Præd. Dissertationibus cuique Tomo præfixis, negaverit nemo.

Illud adverte, cum in notis *Theologi* citantur, de *Lovanienfes* atque *Duacenses* id esse intelligendum, licet non ubique exprimantur; item nomine *editionis Romanæ* intelligi eam quæ sub Pio V. anno 1570. curata est, aliis enim Romanis editionibus annus apponitur; cum scribitur *edit. Pat.* tum eam quæ an. 1698. in folium aliam quæ 1712. in 12. è typis Patavinis prodiit, comprehendi. Sic vero legit compendiaria codicum signa. *Cod. Alcan.* Codex Alcanitiensis: *Camer.* Cameracensis: *Tarrac.* Tarracensis: *Colon.* Colonienfis: *Rom.* Romanus. Eorum tandem commoditati prospiciens qui ex hac mea editione nihil præter *Theologicam Summam* penes se habuerint, in citandis Opusculis D. Thomæ eum ordinem secutus sum quem post Romanam editiones plurimæ servant: facili enim negotio ea alio posita loco inveniet quisquis indices Tomo XIX. editionis meæ, Opuscula continenti, præmissos scrutatus fuerit. Hæc satis. Vale.

EIDEM LECTORI TYPOGRAPHUS MATRITENSIS.

Ruftra quidem laborarem, si inter tot Operum Divi Thomae Aquinatis editiones optimam esse Patavinam anni Domini 1755, tibi persuaderem, atque ideo jure merito meis typis recudenda seligatur. Ipsa namque omnium ultima est, ad melioris notae Codices comparata, Doctissimorum Virorum crisi castigata, variantes lectiones habet ad calcem, ornamentumque non parvum ex Doctissimi Viri Fr. Joannis Francisci Bernardi Mariae de Rubéis, Ordinis Praedicatorum disertationibus unicuique tomo praefixis, ei advenit. Unum ei defuit, ut omnibus numeris absoluta prodiret, Typographorum scilicet vigilantia, ne tot, tantisque mendis foedaretur. Sed in hac mea editione omnis est adhibita cura, ut Angelici Doctoris littera suae puritati restitueretur, ut patebit cuilibet hanc editionem cum illa conferre volenti. Studentium utilitati consulens in edendis operibus a Theologica Summa initium sumpsit, editurus statim ejusdem Sancti Doctoris Commentaria in 4. Libros Sententiarum. Consequentur postea libri quaestionum quodlibetalium, Summa contra Gentiles, Opusculaque, propter intimam connexionem, quam cum Summa habent Theologica, ut in adnotationibus ad caput cuiusque articuli positus, videre licet: & tandem, Deo annuente, reliqua in Sacram Scripturam Commentaria meis ex Typis accipies. VALE.



INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM, quæ in hoc volumine continentur.

PRIMÆ PARTIS

QUÆSTIO IV.

SUMMÆ THEOLOGICÆ

De perfectione Dei.

QUÆSTIO PRIMA.

De ipsa sacra doctrina, qualis sit, & ad quod se extendat.

ARTICULUS PRIMUS.

- 1 Utrum præter alias scientias doctrina theologica sit necessaria.
2 Utrum sacra doctrina sit scientia.
3 Utrum sit una scientia, vel plures.
4 Utrum sit speculativa, vel practica.
5 Utrum sit dignior aliis scientiis.
6 Utrum sit sapientia.
7 Utrum Deus sit subjectum hujus scientiæ.
8 Utrum sit argumentativa.
9 Utrum uti debeat metaphoricis, vel symbolicis locutionibus.
10 Utrum sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.

QUÆSTIO II.

De Deo an sit.

- 1 Utrum Deum esse sit per se notum.
2 Utrum Deum esse sit demonstrabile.
3 Utrum Deus sit.

QUÆSTIO III.

De simplicitate Dei.

- 1 Utrum Deus sit corpus.
2 Utrum in Deo sit compositio materiae, & formæ.
3 Utrum in Deo sit idem Deus, & Deitas.
4 Utrum in Deo sit compositio essentiae, & esse.
5 Utrum in Deo sit compositio generis, & differentiae.
6 Utrum in Deo sit compositio subjecti, & accidentis.
7 Utrum Deus sit quocumque modo compositus, vel totaliter simplex.
8 Utrum Deus veniat in compositionem cum aliis.

S. Thom. Op. Tom. 1.

QUÆSTIO V.

De perfectione Dei.

- 1 Utrum Deus sit perfectus.
2 Utrum Deus universaliter sit perfectus, omnium in se perfectionem habens.
3 Utrum creaturæ possint esse Deo similes.

QUÆSTIO VI.

De bono in communi.

- 1 Utrum bonum, & ens sint idem secundum rem.
2 Utrum, supposito quod differant ratione tantum, sit prius secundum rationem bonum, vel ens.
3 Utrum, supposito quod ens sit prius, omne ens sit bonum.
4 Ad quam causam ratio boni reducatur.
5 Utrum ratio boni consistat in modo, specie, & ordine.
6 Utrum bonum dividatur convenienter per honestum, utile, & delectabile.

QUÆSTIO VII.

De bonitate Dei.

- 1 Utrum esse bonum conveniat Deo.
2 Utrum Deus sit summum bonum.
3 Utrum ipse solus sit bonus per suam essentiam.
4 Utrum omnia sint bona bonitate divina.

QUÆSTIO VIII.

De infinitate Dei.

- 1 Utrum Deus sit infinitus.
2 Utrum aliquid præter ipsum sit infinitum secundum essentiam.
3 Utrum aliquid possit esse infinitum secundum magnitudinem.
4 Utrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem.

QUÆSTIO VIII.

De existentia Dei in rebus.

- 1 Utrum Deus sit in omnibus rebus.
2 Utrum Deus sit ubique.
3 Utrum